

busdam deseruntur, cum ea nos ostendunt Christianos quae patimur, ad exemplum ipsius CHRISTI. Ex nobis, inquit, prodierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Quin potius memores simus tam dominicarum pronunciationum, quam apostolicarum literarum, quae nobis & futuras haereses prænunciauerunt, & fugiendas præfinierunt: ut sicut esse illas non expauescimus, ita & posse id propter quod fugiendas sunt non miremur. Instruit dominus multos esse uenturos sub pellibus ouium, rapaces lupos. Quae nam istæ sunt pelles ouium, nisi nomini Christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus & spiritus subdoli, ad infestandum gregem CHRISTI intrinsecus delitescentes? Qui pseudoprophetæ sunt, nisi falsi predicatores? Qui pseudoapostoli, nisi adulteri euangelizatores? Qui antichristi interim & semper, nisi CHRISTI rebelles? Hoc erunt haereses non minus doctrinarum peruersitate ecclesiam laceffentes, quam tunc antichristus persecutionum atrocitate persequetur: nisi quod persecutio & martyres facit, Haereses apostatas tantum. Et ideo haereses quoque oportebat esse, ut probables quique manifestarentur: tam qui in persecutionibus steterint, quam qui ad haereses non exorbitauerunt. Neque enim eos probatos intelligi * iuuet, qui in haeresim fidem demutant. Sicut ex diuerso sibi interpretantur, quia dixit alibi: Omnia examine, quod bonum est tenete. Quasi non liceat omnibus male examinatis iniectione alicuius mali impingere per errorem. Porro si dissensiones & schismata increpat, quae sine dubio mala sunt, & incontinenti, haereses subiungit: quod malis adiungat malum utique profitetur, & quidem maius: cum idem credidisse se dicat de schismatibus & dissensionibus: quia sciret etiam haereses oportere esse. Ostendit enim grauioris mali despectu de leuioribus se facile credidisse: certe non ut ideo de malis crediderit, quia haereses bona essent, sed uti de peioris quoque notæ temptationibus præmoneret non esse mirandum, quasi diceret tendere ad probables quosque manifestandos, scilicet quos non potuerint deprauare. Denique si totum capitulum ad unitatem continendam, & separationes cohercendas aptes: haereses uero non minoris ab unitate diuellunt, quam schismata & dissensiones, sine dubio & haereses in ea conditione reprehensionis constituit, in qua & schismata & dissensiones. Ac per hoc non eos probables facit, qui in haereses diuerterint, cum maxime diuerti ab eiusmodi obiurgans, & docens unum omnes loqui, & ipsum sapere: quod etiam haereses non sinunt. Nec diutius de isto, si idem & Paulus, qui & alibi haereses inter carnalia crimina enumerat, scribens ad Galatas: Et qui Tito sugerit hominem haeticum, post primam correptionem recusandum, quod peruersus sit eiusmodi & delinquat, ut a semetipso damnatus. Sed & in omni penè epistola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans haereses taxat: quarum opera sunt adulteræ doctrinæ, haereses dictæ Græca uoce ex interpretatione electionis, qua quis siue ad institutum

Haereses.